

X 2047355

RECTOR
ACADEMIÆ LIPSIENSIS
 AD
EXEQVIAS
NOBILISSIMO CLARISSIMOQUE
VIRO JUVENI
DN. M. JOHANNI
CHRISTIANO GEIERO,
SS. THEOL. CULTORI HACTENUS
SOLERTISSIMO,
ea, quar par est frequentia, post horam I.
eundas
PROCERES CIVESQUE ACADEMICOS
officiose ac peramanter
invitat.





St mors Eclipsis ejusmodi, quæ in sudo æque fit, ac nubilo tempore. Ita sapientissime juxtim ac pientissime Magnæ Britanniaë Rex Carolus I. indignissime à subditis suis maectatus, in libello suo, cujus titulus est: *εικὼν βασιλική,* inter alia plusquam regia oracula, pronunciavit. Et vero non valetudo tantum *τυμβογεργίων,* atque ætate confectorum, sed & florentissimorum juvenum, in quibus suda & serena sunt omnia, Eclipsin mortis subinde patitur. Hanc itaque ob mortis incertitudinem Rex idem, quem & Martyrem vocant, in secundis suis non mortem tantum meditatus est ipsemet, sed & aliis meditationem mortis in libello jam dicto quam enixissime commendavit. Nec aliter faciundum judicarunt Platonici, quibus & Philosophia non aliter audit, quam Meditatio mortis; quanquam eos non tam Physicam, quam Ethicam aut Metaphysicam (liceat ita cum Philosophis fari) intellexisse mortem nonnulli contendunt. Quid? quod Barbari quoque Arabes illud iter, quod nemo viventium declinare potest, nunquam non penes animum cogitandum esse censuerunt. Ita enim non nemo ex illis, referente id ac vertente Cano illo & Caro capite, *Johanne Frischmutho,* decantatissimo sacrarum literarum Professore, & venerabili Academiae Salanae Seniore, in dissertatione Epistolica ad maximè reverendum atque excellentissimum, Dn. D. *Johannem Benedict. Carpzovium,* Theologum nostrum celeberrimum, & h.t. Facultatis Theologicae Decanum, superiore anno data atq; edita, in qua & meritissimæ Theologorum longe sincerissimi Paris, *MARTINI GEIERI & JOH. BENEDICTI CARPZOVII,* Senioris, Generi videlicet ac Soceri, laudes continentur: *Memento temporis, morbi, ac senectutis tuæ venientis ponente.* Quibus sane verbis non senio tantum confectis, sed & illis, qui floridæ sunt valetudinis, roboreque adhuc per ætatem præstant, memoriam mortis Arabs ille inculcat, cum fieri sæpissime soleat, ut hominum, etiam vegetorum consilia atq; conatus in medio cursu intercipientur, vitaq; non secus ac navicula ad scopulam, sive is morbus sit, sive aliud infortunium, ex improvise allidatur. Qua fini impræsentiarum hæc præloquamur, vel tacentibus nobis nemo non legentium intelliget. Nimirum domestico (at utinam alieno potius!) exemplo jam edocemur, Eclipsin esse mortem, quæ non nubilo tantum, sed & sudo fiat tempore. Et nonne nuper admodum in nobilissimo clarissimoque GEIERO nostro amænissima quædam qua valetudinis, qua fortunæ serenitas exsplendescibat? Sed ecce aterrimam nubem ab insperata morte mox inductam! Dictum igitur & nobis putemus illud tum Caroli Britannorum Regis, tum Barbari illius minimè barbarum monitum, nostrumq; in singulas dies, imo horas faciamus Paulinum illud: *ὁ καιρὸς τῆς ἐμῆς ἀναλύσεως ἐφύθηκε.* Interea cum GEIERI beatè functi exuvia dormitorio Carpzoviano, quod juxta ædem Johanneam est, jam sint illata, id faciundum nobis adhuc superat, ut non laudatissima tantum vita ejus more solito exponatur, sed & justa eidem funebria, quibus longè dignissimus est, decenter ac prolixè persolvantur. Parentes itaque felicissima nascendi sorte indeptus est plane eximios, & sive ortum eorum, sive vitam spectes, inculpato; & Patrem quidem Virum Magnificum ac Summe Reverend. DN. D. MARTINUM GEIERUM, Professore antehac in Philuræa nostra Theologiæ ordinariæ, Pastorem ad D. Thomæ, Canonicum Cizensem, & Diœcesis Lips. Superintendentem, postea Sereniss. Elect. Saxoniae JOH. GEORGIO II. à Concionibus aulicis primariis, confessionibus, & consiliis Ecclesiasticis, Virum profecto ingentibus non in hanc tantum Academiam, & universas Electoratus Saxonici Ecclesias ac Scholas, sed & in totam orthodoxiam Lutheranam meritis inclytum, ac nunquam satis deprædicandum; Matrem vero emendatissimi exempli fœminam CHRISTINAM ELISABETHAM, Viri maxime reverendi atq; excellentissimi D. JOHANNIS BENEDICTI CARP-

CARPZOVII, Professoris Theologiæ celeberrimi, Electoralis ac Ducalis Confessorii, quod hic est, Assessoris, Pastorisque ad D. Thomæ, de singulis hisce muniis optimè meriti, filiam. Natus est heic Lipsiæ d. XI. Febr. Anno ær. Chr. cl. lxxv, & eo quidem tempore, quo Pater ὁ σεβασμιώτατος à Serenissimo Saxoniae Electore JOH. GEORGIO II. in cœlis nunc triumphante, ex Academia hac Patria ad ardua illa in Ecclesia aulica & Proto-Synedrio obeunda munia, quam clementissime fuerat evocatus. Facile itaq; à se impetrari tum passus est piissimus Princeps, ut, cum à novo Nathane hoc suo, ut filii sui recens nati, & mox sacro fonte tingendi, sponsorem lustralem, ac deinceps συνεπιμελήτω ageret, petito ejus clementissime annueret, idq; muneris Christiani per Generosissimum ac Perillustrem Dn. *Henricum Gebhardum à Miltis* / jam Sereniss. Saxon. Electoris JOH. GEORGII III. Consiliarium intimum, & Cancellarium eminentissimum, una cum susceptoribus aliis in æde Thomana expediri curaret. Exacto puerperii seu sex hebdomadam tempore Mater nobilissima Maritum incomparabilem secuta est cum suo Ascaniolo, Dresdæque adeo eum, quanta maxima potuit, cura atq; industria educavit. Pater autem sanctissimus, cum sublimem studiisque aptissimam in puero indolem, deprehendisset, eum eruditis atque idoneis præceptoribus, LEISNERO nempe, jam dexterrimo Scholæ Cygneæ Con-R. & M. CHRISTIAN ANDR. VINHOLDO, formandum fingendumq; commisit, ita quidem, ut præcipuas sibi partes reservaret. Nam & ipse in tam venusti atq; egregii operis structura suam conferre volebat industriam. Et quia in filio magna docilitas, magnumque discendi studium elucebat, magna quoq; non in omni tantum literarum genere, sed in Hebraica quoq; lingua, quam Pater magnificus docebat ipse, spatia conficiebat. Quatuordecim annorum adolescens factus jam aptus videbatur tractandis altioribus, quæ in Academiis fervent, studiis; quam ob causam & eum, jam anno LXXX. in Academiam hanc patriam ablegare Parens summe reverendus constituerat. Quoniam vero eopse anno gravissima pestis hanc urbem inasera, & Proto-Synedrium Electorale una cum Illustribus Collegiis aliis in urbem Misenam ob eandem luem Dresdæ sævientem translatum fuerat (quorsum & Pater semel quot septimanis ex Freiberga, ubi cum Hero Clementissimo pestifera tempestate hærebat, se conferebat,) Misenam & ipse fuit missus GEIERUS noster, nec præclarissimi tantum WILCKII, illustris ibidem Gymnasii Rectoris, sed & maximè reverendi atq; excellentissimi D. AUGUSTI PFEIFFERI, Ecclesiastæ tum Afrani, nunc Sanctæ Lingvæ in hac Philuræa Professoris, & Archidiaconi ad D. Thomæ vigilantissimi, curæ atque institutioni fuit traditus. Quibus cum aliquandiu non sine insigni studiorum fructu subesset, Parens sanctissimus eodem anno LXXX. & die quidem XII. Septembr. ex terris in cœlum evocabatur, & penes Freibergenses, ubi tum degebat, componebatur. Mater itaq; pientissima anno subsequente LXXXI. Ascanium hunc unicum, eo, quo eum destinarat Pater ὁ μακαρίτης, ablegabat, in Philuræam nostram videlicet, quam & post dira pestilitatis tempora salubrior auratum afflaverat. Huc itaq; cum d. V. Augusti pervenisset, ea, qua par, diligentia in omni genere literarum ac disciplinarum se exercuit, Ephorum fidelissimum nactus Virum tum temporis clarissimum M. JOHANNEM SCHMIDIUM, nunc SS. Theol. Licentiatum, & Eloquentiæ Professore publicum, utrobyq; laudibus justis condecorandum, qui & eo tempore intra privatos parietes Philosophiam omnem & legendo & disputando excutiebat. Nec infrequens lectionibus Professorum publicis intererat, D. ALBERTI maxime, THOMASII, L. RECHENBERGII, & L. FELLERI, sub cujus moderamine & Eloquentiam excolebat, & in Collegio, ut vocatur, perpetuo Oratorio, quod celebrari in Bibliotheca Paulina solet, non semel Roscium se fistebat. Primo Philosophiæ gradu post deinceps exornatus respondendo pariter ac opponendo magis magisque subactum se reddidit, utque publice quoq; ostenderet, quousq; in studio

FR 262894

Philosophico processerit, sub celeberrimo THOMASIO de *Mediocritate Virtutis moralis* non sine gloria disputavit; dein dissertationem de *moralitate ludorum scenicarum* proprio Marte conscriptam sub Ephori sui jam laudati tutamine defendavit mascule; cumq; lauream Philosophiæ summam Anno LXXXIV. decerpisset, disputationem alteram de *Mediocritate Virtutis moralis*, quæ Bodino maxime opposita erat, ventilationi publicæ tanquam Præses exposuit. Rebus probe sic atque laudabiliter penes nos gestis, Gieslam Hassorum petiit, seque privatisimæ informationi Viri maxime reverendi atque excellentissimi D. DAVIDIS CLODII, PP. commisit, à quo & fideliter per omnes, ut vocant, Locos Theologicos fuit ductus, nec non disputationem Theologicam de *Prophetia & Prophetis* à se elaboratam sub Eiusdem Excellentissimi CLODII umbone invictè defendit. Argentinam exinde profectus, Theologo sincerissimo D. BALTHASARI BEBELIO, (Theologo postea Wittebergenfi Primario, sed heu! vix dato, mox ablato) adhæsit, & ne Vacunæ litare domi videri posset, facem Philosophicam aliis in Museo suo præluxit. Per semestre in Academia illa Treboccorum commoratus, revertit in Giessensem, ubi etiam Theologi famigeratissimi KILIANI RUDRAUFFII Scholas Theologicas frequentavit, inque illis de *Novissimis* ingenti cum laude publice disputavit. Specimine hoc ibi edito excurrit in urbes Imperiales, & quicquid notatu dignum hinc inde occurrit, cum cura observavit. Matri tandem honoratissimæ superiore anno circa nundinas autumnales nostras redditus, Bibliothecam, quam hæreditario jure acceperat instructissimam pervolutavit, ut tanto felicius curriculum Theologicum, quod semel ingressus fuerat, in Academia nostra decursare posset. Neque enim in alia Academia, quam in hac, quam patriam agnoscebat, sua studia ad colophonem perducere induxerat animum. Huc die XVIII. Februarii reversus languorem quendam persentiscebatur, quem ex violenta veredarii publici vectura ortum esse vero simile videbatur. Sed morbi quid subesse animadvertens, Medicum experientissimum acciri mox faciebat. Hujus medicamenti cum esset usus, morbilli velut agmine facto prorumpabant, spemq; morbi post paulo superandi simul afferebant. Sed eodem die, quo spes pristinæ valetudinis allucebat, die videlicet XXIV. Februarii, extrema ipsa præter spem ingruiebant. Itaq; exomologesi coram maxime reverendo Confessionario mox facta viatico sacro se instruebat, nec ita multo post tam inter sua, quam adstantium Consanguineorum suspiria ac preces placidissime expirabat. Florentissima hæctenus in hoc Viro Juvene, & sudo cælo similia erant omnia; sed mors subitanea veluti Eclipsis quædam serenitatem hanc omnem offuscabat. Quanquam nobis tanquam Christianis non desperandum, exuvias beate functi GEIERI nostri post hanc Eclipsin ad pristinam, imo longe majorem aliquando lucem redituras. Sicut enim (loquimur cum excellentissimo Frischmutho ex dissertatione Epistolica supra laudata, & quidem ad mentem *Wilhelmi Græteri*, Viri piissimi, & Superintendentis quondam Werthemienfis) *peritus & artificiosus Chymicus, ubi aliquid in putrefactionem ponit & calcinat, pro derelicto vel deperdito non habet; sed potius in arte sua spectat spiritum & extractum, quod interventu putrefactionis producit: ita & nobis cogitandum, corpusculum nostrum aliquando multo splendidius resurrectorum, & fulgentius, velut ex scripturis liquet.* Interea cum sua clarissimo GEIERO nostro persolvere justa nos addeceat, agite, ô Nostri, exequias ea, qua par est, frequentia post horam I. celebrate! Debetis id officii virtutibus beate functi; debetis meritis Beatissimi PARENTIS in hanc Academiam longe maximis, debetis denique & MATRI consternatissimæ, quæ uti VIDUA GEIERIA, & nata CARPZOVIA est, ita jure sane quodam, hoc quicquid pietatis est, à Vobis videtur posse exigere. PP. Lipsiæ d. III. Martii, An. ær. Chr. clc lxxxvii.

Dresdæ, Literis Hæredum Melchioris Bergonii.

F. N. 56. (22)

Zb
2898

X 2047355

RECTO
 ACADEMIÆ LIPS
 AD
 EXEQVIA
 NOBILISSIMO CLAR
 VIRO JUVEN
 DN. M. JOH
 CHRISTIANO
 SS. THEOL. CULTOR
 SOLERTISSIM
 ca, quar par est frequentia, p
 eundas
 PROCERES CIVESQUE
 officiose ac peram
 invitat.

